

fitio earum obtinere debeat, cum à Principe Ecclesiastico confessio facta fuerit; longe enim diversum est unum ab alio, nec sumus in casu, in quo Princeps recusat contra se ipsum leges illas admittere, sed cum alius tertius contendit easdem leges observari debere contra alium, cujus res à Principe alienata fuerit, vel quocunque alio modo concessa, eo magis, quod non subsistit ratio illa: Ecclesia non recipit jura illa contra se; ergo nec pro se recipere debet: imò ex his, quæ hæcenus diximus, manifestè subvertitur.

Deinde, quia inter Laicos, & ubi nullum datur Ecclesiasticarum, vel Ecclesiasticarum personarum præjudicium, nulla potest constitui differentie ratio inter Pontificem maximum, & alios Principes sæculares, ut malè constituit prædictus Author ubi supra, dict. num. 9. cum dict. l. omnes, & dict. l. bene à Zenone, generaliter procedant in omni Principe habente jura imperii, & non recognoscendo Superiorem, ut infinitos referens advertit Duesi. d. regul. 238. vers. Quinto limita. Socini. d. regul. 424. vers. Primo fallit, Autontus Gabriel Portius, & alii in numeri in initio hujus capituli præcitati. Quis igitur cordatè rem hanc inspiciens, contrarium in Romano Pontifice audebit constituere? cujus tanta potestas est, ut alterius etiam maximi cujusque Principis potestatem superet, ut latissime, atque elegantissime probavit Aldebrandinus in cons. 1. per tot. vol. I. & de his hæcenus. De aliis verò, quæ ad hanc materiam pertinent, videri possunt in quos supra retulimus n. 2. & omnis quamplurimis, notandum erit Joannis Vincentii Honded cons. 38. lib. 2. ubi plenè in proposito scribit, & ultra alios discutit, utrum decisio dict. l. bene à Zenone, & similia procedere debeat, si Princeps vel filius cesserit jura ex causa confiscationis, ut ibi videri poterit ex n. 35. usq; ad n. 57.

## CAPUT VI.

De captatoria voluntate & de remissa in arbitrium alterius.

De captatoria voluntate, item de ea, quæ in arbitrium alterius, vel in liberam cuiusque voluntatem confertur: dilucida, & absoluta, brevis tamen, & distincta interpretatio traditur, communes ibidem DD. resolutiones expendantur, legibus hujus Regni noviter applicantur, & effectu res ista ad praxim, expeditius, quam antea erat, declarata relinquuntur; deinde ad quæstionem inferunt, utrum meliorandi alicum ex filiis, vel nepotibus, facultas in voluntatem alterius à parentibus possit committi? quid, si dictum sit: *Melioro unum ex filiis meis, quem uxor mea, vel alius elegerit, vel Concedo facultatem uxori meæ, vel alteri, meliorandi unum ex filiis, vel nepotibus meis: sive uxor mea, vel alius, si voluerit, meliorat unum ex filiis meis; aut Ex 3. & 5. bonorum parte, si velit, in aliquem ex filiis meis Primogenium instituat.* Quid denique, si non designata melioratione, neque qualitativè, neque quantitativè, arbitrio, vel ad arbitrium alicujus, unum ex filiis suis meliorari testator dixerit; ubi, quæ ab aliis dicta erant hucusque, breviter recensentur, & nonnullis noviter, & melius quam hæcenus adnotatis, vera, & distincta resolutio traditur, & l. 31. Tauri, germanus sensus detegitur.

## SUMMARIUM.

1 Author reddit rationem, quæ motus est principaliter, et materiam hujus Capituli scriberis.

- 2 Captatoria voluntas, quæ Senatus consulto improbat, quæ sit? & num. sequent.
- 3 Captatoria voluntas diversa est ab ea, quæ ex alieno pendet arbitrio, vel quæ in alterius voluntatem confertur, & num. sequent.
- 4 Captare quid? & ibidem Connani verba relata.
- 5 L. captatorias, 70. ff. de hæredibus instituendis, explicatur.
- 6 L. Clemens patronus, §. finali, ff. de hæredibus instituendis, rectè intellecta per Cujacium.
- 7 Captatoria voluntas, utrum permittatur favore pie cause, & num. seq.
- 8 Prefatum dubium minimè decisum, nec etiam aliquo modo tactum, in cap. cum tibi, de testamentis.
- 9 Textum in cap. cum tibi, de testamentis, non loqui de captatoria voluntate, sed de dispositione, quæ in alterius arbitrium, aut voluntatem confertur.
- 10 Doctores deceptos communiter, qui quæstionem superiorem tractantes, terminos prefatos confundunt, & Scribentium decisiones allegant, quæ non loquuntur de captatoria voluntate, sed de dispositione, quæ ab alieno pendet arbitrio, quo diversum est, ac separatum in quæstionem moveri debuit.
- 11 Didaci Covar. sententiam in quæstione proposita supra, num. 7. temperandam, ac intelligendam, prout optimè, ac verè intellexit Sarmientus, nec posse extra casum ab eo consideratum, captionem, aut dolunt intervenire.
- 12 Recentiores nonnullos, indistinctè nimis, aut valde generaliter in quæstione superiori loquutos.
- 13 Captatoriam dispositionem, statuto, lege, vel consuetudine posse permitti.
- 14 Adhuc tamen, nullo jure permissam.
- 15 Nam in primis, jure civili, ex Senatus consulto captatoria dispositiones improbantur.
- 16 Jus verò Pontificium circa captatoriam voluntatem nihil disposuit, sed de alia, & diversa dispositione, aut voluntate tractavit.
- 17 Jus autem Regium nihil novum induxit, nec antiquum alteravit, sed jus commune quoad captatorias dispositiones intactum, & illatum reliquit, sic, ut nec eas reprobaverit expressè, nec aliquo modo permisit.
- 18 Hæredis institutionem, vel legatum favore pie cause ab alieno arbitrio, vel à libera voluntate posse pendere; hunc tamen casum separandum ab eo, de quo agitur supra num. 7. prout hoc numero advertit Author, & supra num. 10.
- 19 De intellectu text. in cap. cum tibi, de testamentis: remissive.
- 20 Institutionem illam: Quos Titius voluerit, hæredes instituto, vel aliter quocunque modo in alterius voluntatem collatam, vitiosam esse, & à Veteribus improbatam.
- 21 Ultima testatoris dispositio, aut voluntas, quare ex alterius voluntate pendere non possit?
- 22 Hippol. Riminald. latè, & eleganter tractasse materiam hujus capituli in consil. 598. per totum. lib. 5.
- 23 Institutio incerti de certis, utrum voluntati alterius committi possit, tam de jure communi, quam de jure Regio, ex decisione l. 31. Tauri, ubi Scribentium quorundam hujus Regni sententia probatur.
- 24 Institutio hæredis in arbitrium alterius collata, utrum de jure communi valida esse debeat? sic, ut distinguatur, an in liberam alterius voluntatem confertur, an in arbitrium, prout in relicto particularibus distinguitur, & num. seqq.
- 25 Institutio hæredis in arbitrium alterius confertur potest, ex sententia Castrensis, quæ fortius quam hæcenus corroboratur, & defenditur infra numero 29. ubi vide.
- 26 L. illa institutio, 32. ff. de hæredibus instituendis, verus sensus adducitur.
- 27 Decii consideratio, in consil. 494. ante finem, concludenti & nova ratione destruitur.

28 Sarmi.

- 28 Sarmienti dubium contra sententiam Castrensis juridica & vera ratione sublatum.
- 29 Institutio hæredis in arbitrium alterius confertur non potest, sicut nec in voluntatem ejusdem, ex sententia Cumani; quæ inspecto jure communi non placet Authori, ut supra probavit ex num. 25. sed per leges quasdam Partite, probari videtur, sic, ut ipsæ leges ideo forsitan factæ sint, ut rem hanc jure communi non decisam deciderent, vel ut dubium & altercationem Doctorum submoverent.
- 30 Prefatum dubium cessare hodie, post decisionem l. 31. Tauri, quæ est l. 5. tit. 4. lib. 5. novæ Compilationis, nova Authoris consideratio in hac materia.
- 31 Voluntas cujusque testatoris, ut alterius dispositioni possit committi, etiam liberè, lege vel statuto efficit potest.
- 32 Legatum relicto in arbitrium, vel in voluntatem ipsius legatarii validum esse.
- 33 Adjecta tamen conditione, si velit, aut si voluerit, conditionale esse, nec ad hæredes transmitti, nisi legatarius declaret se velle, prout hoc numero declaratur.
- 34 L. si ita expressum, ff. de condit. & demonstrat. explicatur.
- 35 Legatum, vel fideicommissum in meram hæredis voluntatem relicto, non valere, in arbitrium tamen, vel arbitrio hæredis posse relinquere.
- 36 Legatum cum arbitrio hæredis relinquitur, ex boni viri arbitrio, legatario debetur, si hæres arbitrari nolet, aut sit in mora arbitrandi, sive arbitretur alter, quam bonus vir arbitraretur; & vide infra num. 50.
- 37 Legatum cum in arbitrio hæredis ponitur, ex lege quadam Partite omnino debetur, nisi hæres justam habeat contradicendi causam, & vide infra, n. 50. ubi dict. l. Partite explicatur.
- 38 Legatum in voluntatem hæredis collatum, ex lege quadam Partite validum esse, atque ex nutu hæredis omnino pendere, sic, ut in ejus voluntate positum sit, rem dare, vel non dare legatario; quod de jure communi secus erat, quia initio legatum nullius momenti fuerat.
- 39 Dispositionem legis Partite in casu superiori loquentis, ex decisione l. 3. Tauri, confirmatam videri, nova Authoris consideratio in hac materia.
- 40 Legatum, vel fideicommissum in liberam, & absolutam cujusque tertii voluntatem confertur non potest; ut: *Lego Titio centum, si Sempronius voluerit: in arbitrium tamen confertur posse, quod ad arbitrium boni viri reducitur.* & de ratione differentie, vide infra num. 44. in fine.
- 41 Legatum posse confertur in voluntatem liberam alterius, quam hæredis, ex sententia quorundam, quæ hoc num. & seq. improbat.
- 42 Emmanuelis Coste, & D. Francisci Sarmienti opinio quadam contra Commune consuetatur, & Commune defenditur, & num. seq.
- 43 L. 1. ff. de legatis 2. verus sensus traditur, & Cumani interpretatio recipitur.
- 44 L. senatus, §. legatum, ff. de legatis 1. explicatur, & commune interpretatio probatur.
- 45 Legatum in liberam cujusque tertii voluntatem, ex legibus Partite confertur non potest, sicut nec de jure communi confertur poterat.
- 46 Legata, ac etiam dispositiones alia particularibus quæcumque, ex legibus Tauri, in voluntatem alterius validè conferuntur, ex sententia Petri de Peralta, quæ ab Authore probatur, & supra, num. 39.
- 47 Legatum certa quantitatis, aut certa speciei, relicto alicui, si Titius arbitratus fuerit, non esse purum, sed conditionale, ac per consequens Titio non arbitrante, vel arbitrari nolente, aut in mora arbitrandi existente, legatum corrumpere, sicut defectu cujuslibet conditionis, ex sententia communi.
- 48 Contra, ex sententia Cumani, Socini, & aliorum, quæ num. seqq. per Authorem probatur.
- 49 Legatum in specie proposita supra n. 47. purum esse, & non conditionale, cum Socino, & Cumano contra Commune.
- 50 Legatum arbitrio, vel ad arbitrium hæredis, aut commissarii, vel alterius cujusque relicto, illo non arbitrante, vel arbitrari nolente, non corrumpere, sed ad arbitrium boni viri recurrendum esse, prout hoc numero latius dicitur, ubi res ista melius quam antea erat, aperitur, ac nonnullæ leges Regiæ noviter, & verè explicantur.
- 51 Substantia dispositionis in alterius voluntatem confertur non potest; qualitas verò, vel accessorium, hoc est, personarum electio, vel declaratio tantum de jure confertur.
- 52 Roderici Suarez singularia verba in proposito referuntur.
- 53 Pater si dicat, quod meliorat unum ex filiis, quem uxor, vel commissarius elegerit, dispositio valet, prout hoc num. & seq. declaratur.
- 54 Pater si melioravit unum ex filiis, non designata melioratione, neque qualitativè, neque quantitativè, sed eo dumtaxat dicto, quod meliorabat unum ex filiis, arbitrio, vel ad arbitrium sui, vel in eo quod sejus fuisset arbitratus, valebit melioratio; tamen prius debet fieri executio, & declaratio quantitatis, quam melioratio petit valeat per melioratum.
- 55 Meliorandi alicum ex filiis facultas, si concedatur alicui, & is meliorare, sive nominare alicum ex filiis ad meliorationem noluerit; omnes filii equaliter admittentur.
- 56 Pater si dicat: *Concedo facultatem; vel, do potestatem uxori meæ, vel alicui alteri meliorandi unum, vel duos ex filiis vel nepotibus, utrum melioratio valeat? ubi in primis Telli Ferdinandez sententia refertur, & præcipuum ejus fundamentum adducitur.*
- 57 Deinde alia, & contraria sententia profertur, & circa fundamenta illius nonnulla noviter, & verè adnotantur.
- 58 Author, ut in quæstione superiori suam sententiam interponat, nonnulla præmittit, quæ verissima putat, nec ab aliquo hæcenus sic fuerunt excogitata; & tandem Joannis Gutierrez resolutionem tuetur, & num. sequent.
- 59 L. 31. Tauri, verus, & germanus sensus adducitur, & vide num. præced.
- 60 Prefatio legis, causam finalem dispositionis ostendit, & mentem condentis declarat.
- 61 Petri de Peralta sententia relata supra, n. 39. & num. 46. pro resolutione Authoris adducitur, & num. seq.
- 62 Melioratio Tertii, & Quinti, est legatum, aut saltem prelegatum, & quota pars bonorum, non hæreditatis.
- 63 Meliorare, aut non meliorare si in voluntate uxoris, vel commissarii, ita liberè positum sit, ut nihil disponere, aut exprimere testator voluerit, sed dumtaxat dixerit, quod si velit uxor, vel commissarius, meliorat, aut meliorare possit unum ex filiis testatoris ipsius, aut ex tertia bonorum substantia, si velit, in aliquem ex filiis primogenium instituat, utrum dispositio valeat?
- 64 Roderici Suarez locus relatus supra num. 52. explicatur.

De captatoria voluntate, item de ea, quæ in arbitrium, vel in voluntatem alterius cujusque confertur, quamvis in mille locis permulti Authores & plena quidem manu scriperint; plurima tamen sunt, quæ idistinctè nimis traduntur, & majori explicatione indigent, idcirco, quia materia hæc utilis est, & frequenter contingens, multumque ab Scribentibus involuta

operæ pretium erit, per casus suos principales discurre, & quæ ad propositum pertinent, distinctione & resolutione explicare; sic enim eveniet, ut ex dicendis nunc faciliè unusquisque dilucidam hujus materiæ interpretationem deducere possit, ac etiam in principali quæstione Telli Fernandez sententia discutietur apertius.

Et ad rem deveniendo, in primis constituo, captatoriam voluntatem à Senatusconsulto improbatam, ut constat ex juribus statim citandis, non dici eam, quæ confertur in voluntatem alterius, de qua agitur in l. illa institutio, 32. ff. de heredibus instituendis, ubi voluntas diversa ab ea, quæ ex alieno pendet arbitrio, & tunc demum fit, cum quis sub conditione alterius relicti sibi vicissim faciendi, alteri relinquit, veluti si testator dixerit: Si me heredem reliqueris, te heredem instituo; vel, Tibi lego, si mihi legaveris: vel si ad tertii personam referantur verba, ut, si Titius me heredem instituerit, Sempronius mihi heres esto: nam ex Senatusconsulto, dispositiones hujusmodi pro non scriptis habentur, quia captionem manifestam continent, & per eas alienam substantiam, & hæreditatem captare, & venari quis intendit: ac denique captandæ mortis alterius votum præbetur l. 1. ff. de his, quæ pro non scriptis habeantur, leg. illa autem, l. Clemens, §. finali. ff. de heredibus instituendis, & cum Castellione eleganter docuit Cumanus in leg. captatorias, ff. de heredibus instituendis, & in leg. 1. colum. penult. ff. de legatis 2. & tentavit Decius in l. captatorias, 2. col. C. de testamento militis. Sequuntur Socinus, & Ludovicus Lusitanus, qui retulit eum in l. utrum, §. cum quidam, col. 4. ff. de rebus dubiis. Antonius Augustinus emendat. lib. 4. cap. 15. Corralius Miscellan. juris lib. 5. cap. 13. Connanus commentariariorum juris civilis, lib. 10. cap. 6. n. 5. fol. 785. ubi dicit, quod vulgus Doctorum, captatorias institutiones vocat, quæ conferuntur in alterius voluntatem, non aliâ ulâ quàm bonarum literarum ignorantia, quâ omnes misère laborarunt. Deinde captare nihil aliud esse, quàm artificiosè quodam, & dolo ipsas quasi allicere, & ad utilitatem nostram contorquere. cavillisque, & malitiosa interpretatione efficere, ut pro nobis facere videantur. Eandem sententiam tenuerunt Antonius Costanus lib. 1. questionum, cap. 7. Covarruvias in cap. cum tibi, de testamentis, n. 2. Costa selectarum interpret. lib. 1. cap. 21. num. 7. Sarmientus lib. 2. selectarum, cap. 4. n. 1. §. cap. 6. in princ. §. n. 35. in fine, & nullo ex his relato, Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, art. 33. n. 60. ubi n. 61. §. seqq. tribus modis limitat. Hippolyt. Riminaldus in conf. 598. lib. 5. qui licet eo loco, terminos hos captatoriæ dispositionis, & ejus, quæ in arbitrium, aut voluntatem alterius confertur, confundat: tamen ibidem n. 20. rectè advertit captatoriam dispositionem propriè dici, prout superius diximus. Surdus etiam decis. 98. n. 6. Et ita tenendum est, ut etiam aliquando in una ex 260. assertionibus, publicè defendimus, quidquid infiniti Authores terminos prædictos involvant, & captatoriam voluntatem vocent eam, quæ in alterius voluntatem, aut arbitrium confertur, quomodo confundunt, & malè intelligunt Glossa in dict. l. captatorias, C. de testamento militis, ubi Paulus n. 4. Bartolus, & communiter omnes in l. 1. ff. de legatis 2. ubi Petrus de Peralta n. 49. sic defendit, & Neotericorum objectionibus contendit satisfacere, & ibidem D. Anton. de Padilla n. 50. Rodericus Suarez in tractatu, de captatoria voluntate Gregorius Lopez in l. 11. in Glossa magna, tit. 3. part. 6. Cavalcanus in conf. 107. n. 1. §. in conf. 108. n. 3. Decius in conf. 494. n. 3. §. seqq. Parisius in conf. 38. ex n. 45. lib. 3. Afflicti decis. 371. n. 5. Antonius Gomez in l. 31. Tauri, n. 1. §. seqq. & idem Velasquez de Avendaño gloss. unica, n. 2. Menchaca de successio- rum creatione, lib. 1. §. 1. n. 19. §. lib. 2. §. 17. n. 79. §. 80. §. seqq. & de successio- rum progressu, lib. 2. §. 13. n. 16. 18. 20. §. 24. Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 2.

cap. 4. n. 3. Mieres de majoratu, part. 2. quæst. 48. n. 3. Matienzus in l. 5. tit. 4. glof. 1. per totam, lib. 5. novæ collectionis Regiæ, & ibidem Azevedius n. 15. Simon de Præcis de interpretatione ultimar. volunt. lib. 1. solut. 5. ex n. 4. fol. 26. Baconius declarationum juris lib. 4. declarat. 63. n. 4. Petrus Gregorius in syntagmate juris, lib. 42. cap. 17. n. 2. & in eodem errore fuerunt etiam Decianus in conf. 68. per totum, vol. 4. maximè n. 34. ubi dixi, sed malè quidem, captatoriam voluntatem esse, quando tota substantia testamenti collata est in meam voluntatem tertii, & in conf. 2. n. 11. vol. 5. §. in confil. 88. n. 7. §. n. 11. vol. 5. Petrus Surdus in confil. 264. n. 5. §. 6. §. n. 22. §. 23. lib. 2.

Nec pro prædictis Authoribus facit textus in l. captatorias, 70. ff. de heredibus instituendis, dum inquit, captatorias institutiones dici eas, quarum conditio confertur in secretum alienæ voluntatis; verè enim satisfaciunt Connanus commentariariorum juris civilis, lib. 10. cap. 6. n. 5. fol. 785. & eo non relato, Covarr. in dict. cap. cum tibi, de testamentis, n. 2. dum dicunt, secretum alienæ voluntatis idèd vocari testamentum viventis, quod non solebant aperiri tabulæ nisi post mortem: sic eæ sunt captatoriæ scripturæ, quæ in futurum conferuntur, non quæ in præteritum, ut acceptum beneficium rependant, l. illa institutiones, 71. ff. de heredibus instituendis, per quem textum sic annotarunt omnes communiter, ut constat ex multis relatis supra. Alexander in conf. 81. col. 2. lib. 6. Decius in dict. l. captatorias, §. in conf. 362. Socinus junior in conf. 75. lib. 3. Cujacius observationem lib. 16. cap. 11. qui rectè intelligi text. in l. Clemens patronus, §. finali, ff. de heredibus instituendis, dum dicit, institutionem, de qua ibi, captatoriam non fuisse, propterea quod testator retulit se ad institutionem præteritam, quamvis ad futuram testamenti recitationem respexerit.

Nunc ex prædictis inferitur ad nonnulla, & in primis captatoriam voluntatem, nec favore piæ causæ permitti; nam cum in ea captio ac dolo quidam insit, reprobaq; alienæ hæreditatis ambitio, ut facta hæredis institutione, aut legato relicto, qui captat, propriam voluntatem mutet, nec pietatis intuitu permitti poterit, argumento textus in cap. super eo, de usuris: quod contra Communem rectè defendit Cova. in dict. cap. cum tibi, de testamentis, n. 13. & tenuit etiam Decianus in conf. 68. n. 34. volum. 4. §. in conf. 86. n. 6. §. n. 26. vol. 5. quorum opinionem servarem ego, ac verissimam crederem, observatis nonnullis, quæ præmittere necessarium erit, nec ab aliquo Recentiore sic animadvertuntur, aut præmittuntur.

Et ante alia, primò, præfatam dubium minimè decifum, nec etiam aliquo modo tactum à Pontifice in d. cap. cum tibi, de testamentis; quicquid contra putent nonnulli, sed malè quidem, utpote cum ille textus non loquatur de captatoria voluntate, sed de dispositione, quæ in alterius arbitrium, aut voluntatem confertur: quæ diversa est, ut superius dixi.

Secundò, deceptos communiter Doctores, qui quæstionem superiorem moventes, utrùm scilicet captatoria voluntas permittatur favore piæ causæ, terminos præfatos confundunt, & Scribentium decisiones allegant, quæ non loquuntur de captatoria voluntate, sed de dispositione, quæ ab alieno pendet arbitrio; quod diversum est, ac separatim in quæstionem moveri debuit: aliud enim est quærere, an favore piæ causæ ultima voluntas ab alieno possit arbitrio pendere; an, ut dixi; captatoria dispositio permittatur? quod ex se patet apertè, nec sic distinctè consideratur ab aliis.

Tertiò, præfatam resolutionem Didaci Covar. (quæ 12 & Deciani, & aliorum est) temperandam, ac intelligendam, prout optimè, ac verè intellexit Sarmientus selectarum interpretarum, lib. 1. cap. 4. n. 8. nec posse extra casum ab eo consideratum, captionem, aut dolum intervenire, prout ipse explicat.

Quartò, recentiores nonnullos in hac materia scribentes

bentes indistinctè nimis, aut valdè generaliter in quæstione superiori loquutos, dum existimaverunt, captatoriam voluntatem favore piæ causæ, nullo modo redargui posse; nam imò redargueretur, si daretur casus, quem consideravit Sarmientus: quod non animadvertunt, & sic indistinctè malè tenuerunt Guilielmus Benedictus in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, condidit, el primero, n. 8. vers. Tertio fallit. Padilla in l. 1. n. 54. ff. de legatis 2. Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, art. 33. n. 66. alios multos sciens consultoque prætermitto.

Quintò, captatoriam dispositionem statuto, lege, vel consuetudine posse permitti: quod contra Covar. & alios concludenti ratione probat Sarmient. selectarum lib. 2. dict. cap. 4. n. 9. Menchaca, qui ejusdem Covar. fundamentis optimè satisfaciunt de successio- rum creat. lib. 2. §. 17. n. 85. fol. 45. §. de successio- rum progressu, lib. 2. §. 16. num. 16. ubi singularem rationem in proposito adducit Padilla in l. 1. n. 52. ff. de legatis 2. Michiel

Graffus receptarum sententiarum, §. institutio, quæst. 18. num. 9. adhuc tamen nullo jure permissam; nam in primis jure civili, ex Senatusconsulto, captoriæ dispositiones improbantur: quod certissimum est ex juribus citatis supra, atque ut indubiatum tradiderunt omnes Scribentes communiter, Afflicti decis. 371. n. 5. Rodericus Suarez de captatoria voluntate, num. 6. Parisius in conf. 38. n. 66. §. in conf. 89. n. 45. lib. 3. Alciatus in conf. 551. n. 2. Surdus in conf. 264. ex num. 22. lib. 2. latius decis. 98. per totum, & decis. 68. n. 5. §. 6. §. decis. 53. n. 6. §. n. 8. cum seqq. §. n. 16. §. 28. Decianus in conf. 68. vol. 4. Hip. iyt. Riminald. in conf. 598. lib. 5. Anton. Gomez in l. 31. Tauri, n. 1. Peralta in rubrica, ff. de heredibus instituendis, num. 73. §. 76. jus verò Pontificium circa captatoriam voluntatem nihil disposuit, sed de alia, & diversa dispositione, aut voluntate tractavit in dict. cap. cum tibi, de testam. aut voluntate tractavit in dict. cap. cum tibi, de testam. ut constanter, ac verissimè quidem asseverarunt ibid.

Covar. n. 13. in princ. Sarmient. selectarum, lib. 2. dict. cap. 4. n. 8. §. cap. 6. n. 35. in fine. Jus etiam Regium nihil novum induxit, nec antiquum alteravit, sed jus commune quoad captatorias dispositiones intactum, & illæsum reliquit; sic, ut nec eas reproberit expressè, nec aliquo modo permiserit: quod ex infinitis à me originaliter prælectis, solus Matienzus sic animadvertit in l. 5. tit. 4. glof. 2. n. 1. lib. 5. novæ collectionis Regiæ; idque verissimum est ex verbis ejusdem legis, quæ de alia & diversa voluntate loquitur, hoc est, de ea, quæ in arbitrium, aut voluntatem, five in electionem commissarii confertur; sic, ut ex verbis ipsius constat apertè: remanent ergo in suo vigore, quæ de jure communi circa voluntatem hujusmodi sunt statuta, quæ tamen, ut dixi, lege, statuto, vel consuetudine possent alterari, quicquid contra defendat Surdus decis. 53. ex n. 8. cui satisfieri potest ex dictis per Sarmientum, & Menchacam locis relatis supra, n. 13. & vide d. Authorem ibidem, per totam decisionem, ubi eruditè agit, an captatoria dispositio convalescat per approbationem hæredis, & an pacto validari possit: & in aliis duabus decisionibus relatis supra n. 15. nonnulla tradit in hac materia utilia.

Sextò & ultimò, hæredis institutionem, vel legatum favore piæ causæ, ab alieno arbitrio, vel à libera alterius cujusque voluntate posse pendere, & consequenter hunc casum separandum ab eo, de quo supra, an scilicet favore piæ causæ, captatoria voluntas possit permitti: quos Doctores confundunt, nec certam, aut distinctam resolutionem tradunt. Sic tamen tenendum est, ut etiam tenuerunt expressim Corneus, Alexand. & Jason in l. captatorias, C. de testamento militis, & ibidem Decius col. penult. & cum multis Menchaca de successio- rum creat. lib. 2. §. 17. n. 80. fol. 44. Graffus receptarum sententiarum, §. institutio, quæst. 18. n. 7. qui id intelligit juxta communem interpretationem textus in dict. cap. cum tibi, de testamentis, de qua est latius videndus Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris Tom. 11.

Covar. ibidem, n. 10. 11. §. 12. Sarmientus selectarum, lib. 2. cap. 6. ex n. 55. usque in finem capituli. D. Spino, in speculo, glof. 5. n. 10. §. n. 25. nov. hinc Andreas Fachineus controversiarum juris; lib. 5. cap. 57. & hætenus de primo casu, & de captatoria dispositione.

Nunc verò, & secundo loco constituendum est, institutionem illam; Quos Titius voluerit. hæredes instituo, vel aliter quocunque modo in alterius voluntatem collatam, captatoriam non esse, ut supra dixi; vitiosam tamen reputari, & à jure improbatam: quoniam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere, l. illa institutio, 32. ff. de heredibus instituendis, l. 11. tit. 3. partita 6. leg. 29. tit. 9. eadem partita, ubi communiter omnes Scribentes sic adnotarunt, Decius in conf. 494. n. 6. Socinus in l. utrum, §. cum quidam, in princ. ubi Ludovicus Lusitanus col. 3. ff. de rebus dubiis, Parisius in conf. 38. n. 45. vol. 3. Ruinus in conf. 21. n. 6. lib. 2. Menchaca de successio- rum creat. lib. 2. §. 17. n. 79. Michael Graffus receptarum sententiarum, §. institutio, quæst. 18. n. 1. §. n. 3. Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, art. 33. n. 52. fol. 301. & alii plures, quos in unum congesti supra, n. 4.

Videamus nunc de ratione prædictorum; quare, inquam, ultima testatoris dispositio, aut voluntas ex alterius voluntate pendere non possit? Et plures rationes assignari solent in proposito, ut constat ex his; quæ scripserunt Antonius Gomez in l. 31. Tauri, n. 1. Menchaca dict. §. 17. n. 79. Guilielm. Benedictus, qui vitiosam, & non inelegantem rationem adducit in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, condidit, el primero, num. 1. Simon de Præcis de interpretatione ultimarum voluntatum, lib. 1. solut. 5. n. 4. fol. 26. Connanus commentariariorum juris civilis, lib. 10. cap. 6. n. 3. fol. 783. Sarmientus selectarum, lib. 2. cap. 6. n. 2. §. 3. Petrus de Peralta in l. 1. ff. de legat. 2. n. 54. vers. redeundo ad præmissa. Doctor Spino in speculo testamentorum, glof. 5. principali, n. 2. 3. 4. §. seqq. Hippolyt. Riminald. in conf. 598. n. 3. n. 8. §. n. 11. lib. 5. quo loco, & per totum consilium late, & eleganter tractat materiam hujus Capituli, & plures rationes congerit ad textum in dict. l. illa institutio; ipsa tamen verior est, ac communior, quod cum testamentum sit nostræ voluntatis justa sententia l. 1. ff. de testamentis, veteres decreverunt ex alieno arbitrio pendere non posse: quoniam testamentum dici non possit, cum non testatoris, sed alterius voluntatem contineat, ut Connanus, Graffus, & alii locis relatis supra, animadvertunt, & Duarenus ad titulum ff. de heredibus instituendis, cap. 3. vers. 6.

Extenditur autem, & limitatur superior resolutio nonnullis modis, prout extendunt & limitant Graffus dict. §. institutio quæst. 18. n. 3. §. seqq. Peregrinus de fideicommissis, dict. art. 33. ex num. 52. usque ad n. 60. quibus aliquid adjicere necesse non est. Dumtaxat prætermitti non potest, de jure communi probè nonnullos, licet alii dissentiant, valere institutionem, cum persona hæredis non nominatur expressim, sed electio certarum personarum committitur alteri; ut instituo unum ex fratribus, aut consanguineis, quem Titius elegerit, quia tunc non substantia institutionis confertur in alterius arbitrium, sed personæ electio: quod cum Parisio, & aliis sic res. l. vit, & esse communem sequentiam profertur Graffus receptarum sententiarum, dict. §. institutio, quæst. 18. n. 6. Hodie post decisionem l. 31. Tauri, quæ est l. 5. tit. 4. lib. 5. novæ collectionis Regiæ, id procedere non potest, utpote cum testator certam omnino personam nominare debeat, quam præcisè tenetur commissarius heredem instituire; nec sufficit incertum de certis nominare, ex quibus unum eligat commissarius ipse, ut rectè, & latius fundant Emanuel Costa in cap. si pater, de testam. in 6. in 1. part. verbo, pauperes, n. 6. Matienzus in dict. l. 5. tit. 4. glof. 2. n. 2. §. 3. & ibidem Azevedius n. 13. lib. 5. novæ recopilationis, Velasquez de Avendaño in l. 31. Tauri, glossa unica, n. 39.